

I N D E X **LECTIONUM**

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO

A DIE XIX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXIX.

PUBLICAE PRIVATIQUE HABENDARUM.

L I T E R I S A D L E R I A N I S.

Quum multi in Hesychio loci exsint obscurissimi, tum haec glossa ibidem legitur prope dixerim desperata, Πυρπερέγγει: Κρατῖνος ἀπὸ διδυράμβου ἐν Βουκόλοις ἀρξάμενος, ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβεν, περὶ τοῦ ἄρχοντος ἔστιν οὐ ἡτήρει. Nihil mutat codex, praeterquam quod exhibet π τοῦ ἄρχοντος compendio ejusmodi, quo παρὰ designari solet. Per mihi mirum videtur, Casaubonum, qui falso putabat, poetas non ab archonte, sed a chorago chorum accepisse, hic tamen recte atque ordine emendare, ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄρχοντος. Nihili vero sunt reliquae magni viri conjecturae Πῦρ, πῦρ ἔγχει — ἄρχοντος, παρ' οὐ ἡτήρει, atque Bergkii De Antiq. Comoed. p. 30 Πῦρ πυρὶ ἔγχει et ad extremum eodem modo. Taceo, quod otiosum est hoc totum, non solum audacter conjectum, παρ' οὐ ἡτήρει: illud vero, ignem infundi, non magis profecto quisquam dixit, quam aquas incendi. Nihilo meliores Wesselingii et Petiti conjecturas praeterire licebit. Haud sane vereor, ne medicinam fecisse mortuo dicar, si posito pignore contendero, ita prorsus legendum esse, ut infra posui, Πῦρ πρὸς ἔγχει: Κρατῖνος ἀπὸ διδυράμβου ἐν Βουκόλοις ἀρξάμενος, ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄρχοντος. ἔστιν οὖν τήρει * * (hic excidit τὸν τεθυμωμένον vel simile quiddam; et constat, haud paucas Hesychii glossas in fine mutilatas esse). Nam Cratini verba sic explicavit Hesychius, *cave hominem vehementem atque iracundum*. Scilicet Cratinus, cujus ira et animi ferocia in vulgus nota est, quum ab archonte chorum non accepisset, ingente ira exarsit gravissimamque contumeliam in Bubulcis suis ultus est. Restitui igitur Cratino Πῦρ πρὸς ἔγχει, quam emendationem non solum literarum ordo apud Hesychium commendat (praecedat enim Πυρπολούμενος, sequitur autem Πυρράλια), verum etiam res ipsa poscit. Etenim „ignis ad gladium accessit“ nihil aliud significat, quam aut, si Diogenis explicatio valet ac si Hesychius ita fere scripsit, ἔστιν οὖν τήρει τὸν μέγα δυνάμενον „cave potentem“ (et Cratino utique cavendum erat a potentia archontis), aut „hominem ferocem vehementemque irritasti.“ Ducit autem Cratinus rationem notissimi proverbii, quod egregie illustravit Athenaeus X, 452, d καὶ τὰ Πυθαγόρου δὲ αἰνίγματα τοιαῦτά ἐστιν — „πῦρ μαχαίρα μὴ σκαλεύειν“ ἀντὶ τοῦ τεθυμωμένου ἄνδρα μὴ ἐριδαίνειν. πῦρ γὰρ ὁ θυμὸς, ἡ δὲ ἔρις μάχαιρα. Eandem sententiam huic proverbio subjecerunt Plutarchus atque Porphyrius. Paullum diversa explicatio est Diogenis Laertii VIII, 1, 17. 18. ἣν δὲ αὐτῷ τὰ σύμβολα τάδε· πῦρ μαχαίρα μὴ σκαλεύειν — ἥθελε δὲ αὐτῷ τὸ μὲν πῦρ μαχαίρα μὴ σκαλεύειν, δυναστῶν ὀργὴν καὶ οἰδοῦντα θυμὸν μὴ κινεῖν, ubi vide Menagium T. II. p. 359, qui tamen omisit Horatium Sat. II, 3, 276., ubi hoc proverbium ad ignem aestumque amoris accommodavit: Adde cruorem | stultitiae atque ignem gladio scrutare. itemque Lucianum Verr. Hist. II, 28 παρήνευσε δὲ καὶ, εἶποτε ἀφικομένη ἐς τήνδε τὴν γῆν, μήτε πῦρ μαχαίρα σκαλεύειν —.

Consimilem sententiam habet illud Archilochi, *τέττιγα τοῦ πτεροῦ συνείληφας*, quod accurate explicavit Lucianus Pseudologist. c. 1. Sed Casaubonus, quum vidisset, et versus ab Athenaeo servatos, quibus de Sophoclis injuria queritur, et Hesychii locum, in quo eadem contumelia Cratino ipsi illata dicitur, in Bubulcis exstitisse: utramque memoriam ad unum eundemque archontem pertinere judicavit. Recte. Neque enim hoc ostendere voluit sui consolandi causa Cratinus, alios etiam archontes cupidius, quam verius pretium virtuti statuere, sed potius se ab isto archonte contumelia affectum esse hoc certissimo (ut putabat) argumento declaravit, quod idem archon, qui sibi chorum negasset, Sophocli adeo (at quanto poëtae) Gnesippum, probum ac dedecus tragoediae praetulisset. Chorus autem magna exercitatione instituendus ideoque multo ante dandus erat, quam ludi ipsi celebrarentur: ut nemo mirari possit, quod Cratinus scribendi Bubulcos opera occupatus jam sciverit, Sophoclem quoque parem tulisse repulsam. Quare Hesychii verba, *ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄρχοντος* hic quidem idem quod aliis in locis significare non possunt, poëtae dramatis dandi facultatem ab archonte ereptam esse (Cratinus enim Bubulcos suos, quamvis sine illo Choro, nihilo secius tamen publice docuerat), sed potius illa ad literam sic intelligenda sunt: quoniam chorum ipsum ab archonte non acceperat. Etenim archon iste, ut chorum Cratino nullum concesserat, ita tamen claritate hujus poëtae deterritus non audebat prohibere, quin Bubulci in scena agerentur: Cratinus vero magnum facere sumtum studio vindictae non dubitabat et quasi sibimet ipse choragus esse voluntarius (*ἐθελοντής ἦν*, secundum Aristotelem et consentientem cum eo Aelium Dionysium). Verum Bergkius tametsi eundem archontem utrobique dici intellexit, falso tamen l. l. p. 30 excogitavit, Cratinum non quidem eo ipso anno, quo Bubulcos doceret, sed non ita multo ante chorum ab archonte frustra petivisse, ac tum proximis Dionysiis omne irae virus in priorem archontem evomuisse. Videlicet ego contumeliam archontis adversus Cratinum ad Bubulcos ipsos pertinere ajo, Bergkius autem eam ad tempora praeterita prioremque comoediam nescio quam revocat. Cujus rei iudicium unice pendet a justa explicatione verborum, *Κρατῖνος ἀπὸ διθυράμβου ἐν Βουκόλοις ἀρξάμενος, ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄρχοντος*. Nemo enim mihi objiciet decantatum illud, *τὸν ἄρχοντα μὴ κωμῳδεῖν*, quam legem vetus comoedia saepissime violavit. Et Casaubonus quidem de illis Hesychii verbis penitus silet; Bergkio autem iudice Cratinus injuriam suam per ipsum dithyrambum ultus est; dicit enim ille, chorum magno impetu in orchestram se proripere et concitato carmine in magistratum illum invelhi: concitatum autem et turbulentum esse cantum oportuisse, quem Hesychius dithyrambum vocaret, quae carmina jam a principio vehementia fuisse, similiterque prae-

cipitem ira ruisse Pratinam. In hac Bergkii opinione mirum nobis vel illud ipsum accidit, quod Cratinus exagitandi archontis causa dithyrambum scripsisse fingitur. Milleni enim cives vel ab Aristophane vel in aliorum poetarum fragmentis acerbissime castigantur; nec tamen, quo id commodius fieri posset, ullus unquam veteris comoediae scriptor componendos putavit dithyrambos. Deinde Bergkium duplex Bubulcorum chorus, tanquam aliquod onus inutile urget ac premit, alter comicus personarum XXIV (hic enim non aufertur Bubulcis, sed relictus est), alter vero chorus dithyrambicus: ecquis autem credet, in una eademque comoedia duo choros generis tam diversi canere et saltare potuisse? vel mehercule, si unicum modo chorum, non duo habebimus, certe is monstruosus quidam videbitur, eritque e choro comoediae atque dithyrambi contra naturam conflatus. Immo vero, mihi crede, longe alia Hesychii mens est, qui Cratinum in Bubulcis a dithyrambo exorsum esse dicit, non sane ut invehi in archontem posset, sed quo justis ac vere comici chori damnum quodammodo sarciret, si in ejus locum dithyrambicum chorum subrogasset. Nam dithyrambus nihil quidquam differt a cyclio choro, qui dithyrambos canere solebat, uti dudum ostendit Bentleyus Opusc. p. 320 ed. Lips. Quodsi Cratinus in Bubulcis dithyrambico choro utebatur, planissime sequitur, vulgarem chorum, qui alias proprius erat comoediae, huic quidem fabulae omnino defuisse atque ob eam ipsam causam Hesychii verba, *ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε παρὰ τοῦ ἀρχοντος* ad Bubulcos, neque vero ad comoediam aliquam priorem referri debere. Sic enim rationem Hesychius concludit: Cratinus orsus est a dithyrambo. Cur tandem a dithyrambo? A choro vulgari non potuit, quem omnino ab archonte tum ne acceperat quidem. Postremo quam ob causam Hesychius verba *ἀπὸ διθυράμβου — ἀρξάμενος* tam diligenter addidit? Primum quia Cratinus alioqui videretur choro sibi negato Bubulcos docere omnino non potuisse; deinde vero etiam quia hoc Cratineum *Πῦρ πρὸς ἔγχει* haud dubie in ipso dithyrambo scenaeque prima legebatur. Quid quod suspicamur, tribus his verbis *Πῦρ πρὸς ἔγχει* totius comoediae initium contineri. Utrum aliae quoque fabulae, quae justo choro carerent, dithyrambum habuerint, an solus Cratinus repungendi archontis causa Chori splendorem novo ornamento compensarit, nescio; hoc scio, alias etiam comoedias veteres sine ullo choro in scena tamen datas esse. In hunc censum veniunt Cratini ipsius *Ὀδυσσεὺς* testante Platonio *Περὶ Κωμῶδ.* p. IX. B. *τοιούτος οὖν ἐστὶν ὁ τῆς μέσης κωμῳδίας τύπος, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεὺς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων, οὔτε χορικά οὔτε παραβάσεις ἔχοντα.* Meineckius quidem conjecit (Qu. Sc. I. p. 35 adnot.), Cratini *Ὀδυσσεὺς* nullius chori fabulam nulliusque parabaseos eo tempore scriptam esse, quo comoediae libertas populiscitis circumscripta

erat, quae opinio mihi olim haud prorsus displicuit (Quaestt. Aristoph. T. I. p. 306.). At consuetudo nominatim cives perstringendi non erat peculiaris chori et parabaseos, sed aequabiliter per totam comoediam diffusa. Et quum illustri Bubulcorum exemplo cognoverimus, poëtam, cui chorus ab archonte negatus esset, nihilominus tamen comoediam istam dare in scena potuisse: nunc potius ita statuo, eas comoedias veteres et choro et parabasi plerumque caruisse, quas archon publice doceri sivisset, nullo tamen choro dato nulloque chorego. Quo facto poëtae ἐδελονταί, voluntarii erant, hoc est, suas potissimum opes edenda fabula dilapidabant ideoque tum fere cogebantur omnes choros, etiam parabases (quae cum toto argumento minus arcte connexae esse solent) delere, quum sumtibus, quos chori sanequam luculentos postulabant, perpauci sufficerent.

INDEX LECTIONUM.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS, P. P. O., h. t. Rector, *privatim* h. VIII — IX. quaternis diebus *introductionem in libros symbolicos ecclesiae Lutheranae* praeibit; h. IX — X. quinis dd. *alteram historiae ecclesiasticae partem* enarrabit. *Publice in Seminarii sodalitia* h. II — III. quaternis dd. *homileticen* praecipiet, et sodalium *homileticas et catecheticas exercitationes*, more consueto, moderabitur.

D. IOANNES PHILIPPUS BAUERMEISTER, P. P. O., h. t. Decanus, 1) octies per hebd. (bis hor. VIII — IX., sexies hor. X — XI.) *dogmata ecclesiae Lutheranae* exponet atque *systemata ecclesiae Romanae, Graecae, Reformatae, Socinianorum et rationalismi hodierni* cum iis comparabit. 2) Octies per hebd. (bis hor. VIII — IX. sexies hor. XI — XII.) *isagogen historicam et criticam in omnes Vet. et Nov. Test. libros* tradet. 3) Binis dd. hor. VIII — IX. *epistolas Joanneas et acta Apostolorum* interpretabitur.

D. CAROLUS FRIDERICUS AUGUSTUS FRITZSCHE P. P. O., I. *publice* binis dd. h. II. librum Jobi interpretabitur: II. *privatim* senis dd. h. X. Pauli epistolas ad Romanos, Philippenses et Thessalonicenses enarrabit: III. *privatim* quaternis dd. Theologiae dogmaticae partem priorem tradet.

D. HENRICUS HAEVERNICK, P. P. E., publice prophetarum minorum vaticinia selecta interpretabitur, *binis dd. h. II. Privatim* I. encyclopaediam et methodologiam theologicam tradet, *quaternis dd. h. XI.* II. introductionem in libros V. Ti canonicos et apocryphos docebit *quinis dd. h. IV.* III. epistolam ad Hebraeos atque Petri epistolas explicabit, *quaternis dd. h. II.*

Licent. JULIUS WIGGERS, phil. Dr., I. *privatim*: 1) evangelia *Matthaei, Marci et Lucae* interpretabitur *senis dd. h. X.* 2) *introductionem in Novum Testamentum historicam et criticam* tam generalem quam specialem praeibit *quaternis dd. h. III.* II. *gratis*: epistolam Pauli ad *Colossenses* enarrabit *dd. Martis et Veneris h. IV.* III. *privatissime et gratis* societatis suae theologiae historicae exercitationes moderari perget d. Lunae h. VII.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. FERDINANDUS KAEMMERER, P. P. O., docebit *Pandectas, excluso jure hereditario*, duce *Heise*, h. III. et IV.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER, P. P. O., h. t. Decanus, tradet 1) *Jus ecclesiasticum*, duce *Wiese*, *senis diebus h. III.* 2) *Principia Processus judiciarii civilis*, duce *Martin*, *senis diebus h. XI.*

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER, P. P. O., tradet 1) *Encyclopaediam Juris*, duce *de Löw*, *binis diebus h. IX.* 2) *Jus publicum et privatum utriusque Megapoleos*, ex schedis suis, *quinis diebus h. X.* 3) *Historiam juris Romani*, duce *Bach*, *quinis diebus h. XI.*

D. FRIDERICUS RASPE, P. P. O., tradet *principia juris criminalis communis et Megapolitani*, ducibus *Bauer* (*Lehrbuch des Strafrechts*) et *Martin* (*Lehrbuch des Criminalprozesses*) *senis diebus h. XI. et XII.*

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS, P. P. O., tradet 1) *Institutiones*, *sexies h. IV.* 2) *Jus hereditarium Romanum*, *quaternis diebus h. IX.* 3) *Historiam juris Romani*, *quaternis diebus h. X.* 4) *Exegesis pandectarum* cum exercitationibus auditorum conjunctam, *diebus Mercurii et Saturni h. IX. et X.*

D. GEORGIUS BESELER, P. P. O., 1) enarrabit *historiam Imperii et juris Germanici*, *sexies h. XII.* 2) *Elementa juris Germanici publici* tradet *diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IV.*

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE

1) de causis quibusdam civilibus iisque difficilioribus atque cognitu jucundis disputabit, et 2) hora III. vel alia commoda scholam civilem eamque practicam quater per hebdomad. moderabitur.

IN FACULTATE MEDICA.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI, P. P. O., Academiae senior, tradet *Artem obstetriciam*, hora IX — X.

D. HENRICUS SPITTA, P. P. O., quaternis hebdom. diebus tradet 1) *Pathologiam et Therapiam specialem*, hor. III — IV.; 2) *Medicinam forensem*, hor. IV — V. Binis diebus instituet 3) *Scholas casuisticas* s. medico-practicas, hor. IX — X.

D. CAROLUS STREMPPEL, P. P. O., h. t. Decanus, docebit d. Lun., Mart., Jov. et Ven. 1) hor. III — IV. *artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* demonstrationibus in cadaveribus illustrandam; 2) hor. IV — V. *pharmacologiam* s. *doctrinam de vi medicaminum* et 3) exercitationes practicas in nosocomio urbenico et in Clinico medico-chirurgico quotidie hor. VIII — X. moderari perget.

D. C. FR. QUITTENBAUM, P. P. O., horis II — IV. diebus Lunae, Martis et Jovis in Demonstrationibus anatomicis *Splanchnologiam, Angiologiam* et *Neurologiam*; 2) horis II — IV. diebus Mercurii et Veneris *Osteologiam, Syndesmologiam* et *Myologiam* docebit; 3) horis IX — XII. in secandis cadaveribus auditores quotidie erudiet.

D. FRIDERICUS HERMANNUS STANNIUS, P. P. O., docebit publice 1) *Encyclopaediam* et *Methodologiam Medicinae* semel per hebdomadem hor. XI — XII. 2) *Osteologiam comparatam* bis per hebdomadem, hora XI — XII. — Privatim 3) singula capita ex historia evolutionis foetus mammalium et avium ad illustrandam doctrinam de vitiis primae formationis exponet hora XI — XII. 4) *Pathologiam generalem* tractabit quotidie hora XII — I.

D. C. KRAUEL, P. P. E., exercitationes practicas in clinico obstetricio moderabitur h. X.

D. JO. FRID. GUIL. LESENBERG hasce lectiones offert: 1) *encyclopaediam et methodologiam artis medicae*, 2) *artem obstetriciam*, 3) *chirurgiam*, 4) repetitoria et examinatoria.

D. CAROLUS HANMANN 1) *chirurgiam* duce *Chelio* (ed. 4.), 2) *ophthalmiatriam* duce *Beckio* (ed. 2.), 3) *otiatrīam* ex schedis suis docebit, 4) *examinatorium pharmacologicum* et *Formulare* duce *Sundelinio* (ed. 2.), 5) privatissime sed gratis *conversatorium et casuisticum medico-chirurgicum* offert; neque iis deerit, qui operationibus ophthalmiatricis institui voluerint.

D. LUDOVICUS DRAGENDORFF docebit 1) *artem obstetriciam*, quinquies per hebdom.; 2) privatissime *artem operationum obstetriciarum*, nec non in eis exercendis et in hystero plasmatis explorandis auditores erudiet; 3) *examinatoria et repetitoria* cupientibus offert.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

D. J. S. BECK, P. P. O., 1. *Principia mathematica et philosophica mechanicae* quinquies p. h. h. X.; 2. *Algebram et geometriam sublimiorem* quater hora XI.; 3. *Theologiam rationalem* hora V. semel docebit.

D. ERN. AUG. PHIL. MAHN, P. P. O., publice 1. *elementa linguae Arabicae* docebit ternis diebus h. II.; 2. *Selectos Psalmos* interpretabitur quaternis diebus h. XI.; 3. *Exercitationes Ebraicas* moderabitur ternis diebus h. III.

D. FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE, P. P. O., 1. privatim aliquot *Aristophanis fabulas* illustrabit, initium a *Nubibus* facturus, senis diebus h. II.; 2. publice *Aeschyli Prometheus* interpretabitur binis diebus h. XI.; 3. publice *Terentii Eunuchum* explicabit quaternis diebus h. XI. Denique *exercitationes Seminarii philologici* moderari perget, in quo *Homeri* potissimum carmina tractabuntur. (ll. VI. seq.)

D. JOANNES ROEPER, P. P. O., privatim docebit: 1. *Zoologiam generalem*, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, quinis diebus h. XII.; 2. *Initia Cryptogamologiae*, diebus Martis, Mercurii et Jovis h. II. 3. *Plantas medicas* die Mercurii h. III — V. publice explicabit.

D. E. D. H. BECKER, P. P. O., privatim docebit: 1. *Agriculturam*, quinquies per hebdom. h. IX.; 2. *rem pecuariam*, quater per hebdom. h. X.; 3. publice *agriculturae capita praecipua* brevi conspectu proponet h. III.

D. LUDOVICUS BACHMANN, P. P. O., privatim 1. quaternis diebus h. X. *Pindari carmina* interpretabitur; 2. binis diebus h. III. *Ciceronis epistolas ad Atticum* exponet; 3. privatissime, quater per hebdomad. horis constituendis, selecta capita *Archaeologiae graecae* pertractabit.

D. HELMUTH DE BLUECHER, P. P. O., privatim docebit:
 1. *Chemiam practicam* ter per hebdom. h. IX — XI.; *Physicen experimentalem* una cum collega conjunctissimo *Karsten* binis diebus h. X — XII. et quaternis diebus h. XI — XII.

D. H. KARSTEN, P. P. O., docebit: 1. publice *astronomiam popularem* bis per hebdom. h. VIII.; 2. privatim *geometriam analyticam* quater per hebdom. h. XII.; 3. *Physicen experimentalem* una cum collega conjunctissimo *a Blücher* octies per hebdom. h. X. et XI. — Privatissima denique offert collegia in quavis matheseos vel physices parte, neque deerit iis, qui in rebus nauticis edoceri velint.

D. CAROLUS TÜRK, P. P. O., publice 1. *historiam legum Germanicarum* narrabit, populi nostri ingenium ex iis descripturus, bis per hebdom. h. II.; 2. *de Hispania et America foederata* referre perget item bis per hebdom. h. II.; privatim 1. *historiam veteris aevi* tradet, sexies hora XI., 2. *historiam medii aevi*, item sexies h. X.

D. CHRISTIANUS WILBRANDT, P. P. O., h. t. Decanus, 1. privatim senis diebus h. IX. *historiam philosophiae* enarrabit; 2. d. Lunae, Martis, Veneris et Saturni h. X. *de Graecorum arte dramatica* publice disseret; 3. Exercitationes *Seminarii philosophico-aesthetici* moderari incipiet diebus Lunae et Jovis h. III. — V.

D. FRIDERICUS FRANCKE, P. P. E., publice 1. quaternis diebus per hebdom. h. IX. *Anthropologiam psychicam* praecipiet; 2. quaternis horis per hebdom. h. X. enarrabit *historiam philosophiae recentioris*, inde a *Kantio* usque ad *Hegelium*, *Herbartium*, *Benekium*, *Fichtium* minorem etc.; privatim docebit 3. *Ethicam s. doctrinam morum philosophicam*, quinquies per hebdom. h. III.

D. GEORGIUS NICOLAUS BUSCH, P. P. E., publice diebus Veneris et Saturni h. X. *de particulis Graecis* disseret. Privatim 1. binis diebus h. III. *Taciti Agricolam* interpretabitur; 2. binis diebus h. III. *Sophoclis Oedipum Coloneum* explicabit; 3. quaternis diebus h. IV. *antiquitates Romanas* illustrabit. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. EDUARDUS SCHMIDT, P. P. E., docebit 1. publice: *initia philosophiae moralis*, simul *introductionem in theologiam moralem* bis per hebdom.; 2. privatim: *psychologiam* quater per hebdom.; 3. privatim: *encyclopaediam disciplinarum philosophicarum*, quinquies per hebdom.

D. CAROLUS WEINHOLTZ privatim **1. logicam formalem ex compendii sui parte secunda docebit; 2. de notione et fine philosophiae historice et critice disseret; 3. methodum organicam explicabit et illustrabit.**

Bibliotheca h. XII — I quotidie, festo die et Solis excepto, **Museum** vero die Lunae h. II — IV Commilitonibus nostris aliisque aperiuntur. Conferatur §. 1. legum de usu Bibliothecae nostrae recens scriptarum. **Gallicam, Anglicam,** aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem **equitandi, pingendi, musicam et artem gymnasticam** doceant.

Domicilia 'commoda quaerentibus monstrabit **J. H. Schulze,** Academiae nuncius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur **Gustavus Fridericus Wiggers, Ph. et Th. D.**
Praesidet ordini Theologorum J. A. Bauermeister, Ph. et Th. D. — Jurisconsultorum C. T. Gründler, J. U. D. — Medicorum C. Stempel, M. D. — Philosophorum C. Wilbrandt, Ph. D.
